LUDI SCENICI LATINI IN SACRO SEMINARIO PRATENSI, AN. 1868

LVDI SCENICI LATINI

IN SACRO SEMINARIO PRATENSI

AN · MDCCCLXVIII ·

CANDIDE LECTOR

Ne mireris hoc mnemosynon a me edi. Scias me fecisse invitatu ac poene jussu Episcopi Nostri, qui me meosque discipulos eo magis excitandos ad studia sapientissime censuit. Vale.

SAC. JOANNES BACCIUS.

Prati, Typis Contrucci et Soc.

MONVMENTVM DISCIPLINÆ

A · MDCCCLXVIII ·

LVDI · SCENICI · LATINI

IN · SACRO · SEMINARIO · PRATENSI

HABITI · SVNT · HOC · AN · XIIII · KAL · MART · HORA · SEXTA · A MERIDIE · OMNI · APPARATV · ORNATVQVE · COMICO · INSTRVCTI CAPTIVI · M · A · PLAVTI · ACTA · EST · INTEGRA · IN · IIII ACTVS · DIGESTA · PARVO · CVM · ADDITAMENTO · SVB · CATASTROPHE AD · INGENIVM · STVDIVMQVE · IOANNIS · BACCII · SAC · POST COMOEDIAM · SVP · SCRIP · DATA · EST · FABVLA · DECEPTORES DECEPTI · CAROLI · MARIÆ · ROSINII · AB · ALOISIO PALVMBO · REFVSA · ET · NOVISSIME · A · CHORAGO . DVOBVS ACTIBVS · EPITOMATA · EGERVNT · X · TIRONES · RHETORICI · GRAECO MORE · TVNICA · INDVTI · CREPIDATI · PALLIATI · SPECTAVERE · CÆTERI ALVMNI · SCHOLARVM · OMNIVM · CONTVBERNALES · ET · EXTERNI PLVRIMIQVE · DOCTORES · MAGISTRI · SACERDOTES · VIRI · CLARISSIMI HENRICVS · BINDIVS · EPISCOPVS · N · SE · ADFVTVRVM POLLICITVS · VALETVDINIS . CAVSA . INTER · SPECTATORES · QVOD AEGRE · FVIT · DESIDERATVS · EST · INTERFVIT · QVI · SACRA · EIVS VICE · FVNGITVR · PRATENSI · DIOECESI · REGVNDA · IOANNES PIERALLINIVS · CAN · VTRAQVE · PLACVIT · RELAXATIONE DISCIPLINÆ · STATIS · DIEBVS · AD · RES · ARGVMENTO · LVDICRAS STYLO · EMENDATISSIMAS · MORE MAIORVM · DEDVCTA ·

JOANNES BACCIUS · SAC · RHETOR ·

SCHEDULA AD INVITANDOS CIRCUMMISSA

M. Attii Plauti

Captivos

Et post comoediam Sup. Scrip. instar exodii

Deceptores Deceptos

Amoenissimam Caroli Mariae Rosinii fabulam

Ab Aloisio Palumbo retractatam

Alumni Rhetoricae in Seminario Pratensi

Graeco more palliati comico choragio

Agunt

Die XVIII. huiusce mensis Febr.

Volo tibi quoque fiat spectandi copia
Qui faves cum doctis viris latinis litteris.
Intersis precor sexta hora de prandio. Vale.

JOANNES BACCIUS SAC. RHETOR.

AD JOANNEM BACCIUM RHETOREM. (1)

Bacci, vestra fides circa sermonis honorem
    Et cultum Latii, more modoque patrum
Me movet, effusis ut laudibus, et prope plausu
    Excipiam longe teque, tuumque gregem.
Pergite in id studii! Civilis sensus ibidem
    Conditur, et patrii pene medulla foci.
Nec patria absque domo, procul exemplisque redibit
    Majorum, quamvis voce vocata diu.
Durate! et facite, ut resipiscant qui sibi spondent
    Italiam numeris aedificare novam.
Radix in lingua est, alimentum et stirpis ab illa;
    Quod nullum est, ejus si minuatur honos.
Fundamenta labant, superante vapore domorum
    Hoste repentino vi facis atque fuga.
Nec sperata salus, nec conclamata vigescet
    Libertas linguæ Relligione carens.

E Bibliotheca Mediceo Laurentiana
XIII. Kal. Mart. A. MDCCCLXVIII.

ALOIS. CHRYSOSTOMUS FERRUCCIUS.

(1) Epistolium hoc allatum est cum volumine — Fabularum Libri III. Aloi. Chry. Ferruccii. —

AD ALOISIUM CHRYSOSTOMUM FERRUCCIUM.

Tu mihi, tu parvo doctorque auctorque magistro
Addere calcar amas, discipulisque simul
Carminibus, fundis quae pro re stans pede in uno
Tu Flacci Charites Virgiliique sonans.
Ipse et quem, vere Chrysostomus hercule, librum
Condebas, animi pignora grata dabas.
Quae tibi me par est condigna rependere? Salve!
Longa tibi o utinam tempora dent Superi.

Captivos Plauti, Deceptoresque Palumbi,
Scis ut, heri prima nocte, favente Deo,
Bis quinque egerunt pueri, quos ipse choragus
Partes quemque suas discipulos docui.
Haereo utrum plausus meruerunt; sat mihi cunctos
Hausisse ardenti pectore divitias
Prisci sermonis, quas pergunt pendere parvi
Hic normam studiis qui posuere novam.

Nil mirum est: mores imitatur, jam Seneca inquit,
Eloquium: Heu luxus segnitiesque vigent!
Omnia pessundans Progressus lex nova mentes
Corda et tironum subruit illecebris.
Oh tandem ignavi resipiscant! oh revirescant
Artes et Latii lingua per Italiam!
Haec pueris inclamo: Tibi sensumque animumque
Nunc memorem grato testor amore meum.

E Sacro Seminario Pratensi
XII. Kal. Mart. A. MDCCCLXVIII.

JOANNES BACCIUS SAC. RHETOR.